

**Commentatio critica de ovo Paschali. Vulgo vom Oster-Eye / Jo. Friderici
Gottliebii Erdmanni.**

Contributors

Erdmann, Johann Friedrich Gottlieb.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Ex officina Langhemiana, 1736.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mx57qdav>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

IO. FRIDERICI GOTTLIEBII
ERDMANNI

SS. T. ET B. A. C.

COMMENTATIO CRITICA
DE
OVO PASCHALI.

VVLGO

Vom Oster = Eye.



LIPSIÆ, EX OFFICINA LANGENHEMIANA
A. O. R. M DCC XXXVI.

JOHN FREDERICK GOTTLIEB
EDMAN
D. M. A. C.

COMMENTARIO CRITICO
DI

GIOVANNI PASCHALI

1860

220 III 2471 = 200

58700(3)



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION
455 N. 5TH ST. N. Y. C.

V I R O

EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO,
DOCTISSIMO,

**CHRISTOPHORO
AVGVSTO
LAEMMERMANNO,**

I. V. DOCTORI CELEBERRIMO,

INCLYTISSIMAE REIPUBLICAE NORIMBERGENSI,
A CONSILIIS,

NEC NON,

V I R O

MAXIME REVERENDO, PRAENOBILISSIMO,
DOCTISSIMO,

**M. CHRISTIANO
FRIDERICO
HEIDERO,**

ECCLESIAE, QVAE SORBIGIAE COLLIGITVR, PA-
STORI PRIMARIO MERITISSIMO,

VT ET

VT ET

VIRIS

CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS,
DOCTISSIMIS,

CONSVLIBVS SORBIGENSIBVS,

IACOBO OTTONI,

ET

CHRISTIANO

BERNHARDO

HARDINGIO,

VIRIS

OMNIGENA VIRTVTIS ET DEXTERITATIS LAVDE
INCLYTISSIMIS,

MERITIS INREMPUBLICAM PRAESTANTISSIMIS,

PATRONIS ET EVERGETIS,

LEVIDENSE HOCCE OPVSCVLVM

D. D. D.

IOH. FRIDERICH GOTTLIEB ERDMANN.



DE OVO PASCHALI dicturus sum, ritu illo quidem inglorio, ast interioris lætitiæ tessera præsentissimæ. Viam emetior haud plane intactam: etenim non defuere viri doctissimi, qui acutissimam suam falcem hanc in messem misere: M. IO. GROSGEBAVERVS et M. IO. FRIDERICVS MICKELIVS erant, qui istud negotii sibi datum fuisse crediderunt: alter in programmate quopiam, alter vero in OOLOGIA PASCHALI non infelici successu hunc tractasse videntur laborem. Iam omnium Sapientiorum Consensu radiat veritas, (a) non in casum agere, qui momenti cuiusdam obscurioris illustrationi fulgentius accendere satagunt lumen. Satis excusationis esset, nisi et illud accederet argumenti, esse illa opuscula nostris his oris haud sane peruulgata, quin et meos adhuc subterfugisse oculos. Itaque beneuolorum lectorum fauore fretus ipsius rei primordia moliar, priusquam ad interiorem huius ritus paschalis explicationem pertingam, aliquid in vniuersum de origine consuetudinis munera diribendi prælibaturus.

Vita hominis licet multis calamitatum iactetur fluctibus, candidus nihilominus interdum redire solet

(a) vid. S. R. CHRISTOPH. COLERI *Vorrede zu dem letzten Journal.*

dies, qui animum mirifica perfundit lætitia. Mortalibus, quorum pectus gaudio tumet, haud pauca enascuntur sufflamina, quæ affectum istum retardent: potiores gaudii remoras indicemus. Homo, cuius lætitia feruet pectus, cum sociis, qui vel tristiora perpetiuntur fata, vel qui æquum nullisque perturbatum affectibus gestant animum, versatur. Igitur grauatus gaudii affectum, quo exæstuat, intra sui ipsius pectoris cancellos retinere, confestim de aliis in societatem lætitiæ alliciendis cogitat; idque prout viribus valet, vel maiori vel minori cum successu conficiet negotii: occurrunt primo homines illætabilis plane conditionis: obiiciuntur eius visui, qui extrema cum paupertate luctantur; lætitia affectus ægre fert miseriam istam fortem: Hinc pauperes munificentia beat, argento exhilarat, animum addere audet: prorsus ut interiori pectoris affectui nullum resistat offendiculum: obuersantur, qui carceribus intrusi durissimo vitæ genere miseram trahunt animam. Homo lætus nec illo spectaculo affectum, qui in animo pullulat, retineri patitur. Vires si sint angustiores ad minimum muneribus exhibitis ergastuli molestiam leuat. Sin rerum moderetur clauum, squalenti carceris puluere pressos facile liberat. Rebus olim isto circumuolutis gyro, Barnabæ semissis homuncioni, idem contigisse, quod nescio an soli, sanctior enarrat pagina. (b) Occurrunt deinde homini exhilarato, qui animum omni affectu fouent liberum: ille & hos, ad eundem, quo ipse exultat, reuocare satagit affectum verbis vsus ad maximam hilaritatem compositis. Non pigebit

(b) Matth. XXVII, 26.

pigebit exemplum fœmellæ illius, quam seruator allegat, huc euocasse, quæ vbi reperto nummulo, quem anxie omni conquisiuerat angulo, in eximiam effusa est lætitiã; omnes suos vicinos socios sui gaudii efflictim cupit. (c) Itaque affectum lætitiæ isti consuetudini munera distribuendi ortum præbuisse, quid vetat, quominus statuam? Inprimis diebus solemnioribus munera circumlata fuisse in scriptis obseruo veterum. (d)

Antiqui Romulidæ præter alia, tria ista, eaque palmaria festa celebrabant **DIEM NATALEM, SATURNALIA** atque **IANVARIA**. Hisce diebus quilibet hoc agebat, vt ea omnia diceret faceretque, quæ boni faustique ominis esse viderentur, id quod eleganter effatur ille suo periens ingenio **OVIDIVS**:(e)

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Diei natalis celebratio magna religione obseruata est. Sic enim accepimus, id moris institutique tenuisse maiores Romanorum, vt die natali munus annale genio (f) soluerent, quod plerumque, *pulte, fibilla sacra, mero quoque, libis, floribus, et thure*, confectum erat. (g) Munera natalitia alia atque alia ab antiquis enarrantur autoribus. Amasis coronæ munus floribus pulcherrime contextæ Partamidi Regi sub natali

(c) Luc. XV, 9.

(d) De donis Ecclesiæ antiquæ variis vid. **LAROQVAVVS** lib. II. cap. IV. aduers. sacr.

(e) Fast. I. v. 72.

(f) **CENSORINVS** de die natali cap. II.

(g) **ALEXANDER** ab Alex. lib. II, cap. 12. dier. genial.

tali obtulit. Epidicus Stratippoclis minister apud Comicum virginem illum sese ignorare simulantem ita alloquitur. (b)

*Non meministi me auream ad te afferre natali die
Lunulam atque anellum aureolum in digito?*

Sat prata nostræ commentatiunculæ bibisse videntur. Liceat nunc quædam de *muneribus Saturnalitiis* litare. Variasse et illa pro hominum sorte facile est euictu: alia lautiores, alia inferiores offerebant. Memoriam proditum est a TRANQVILLO cap. XIX. Caligulam Cæsarem viris forensia, S. vestes, quas sumebant viri foras prodituri pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylii distribuisse. Tradit FESTVS POMPEIVS (i) candelas a pauperibus, cereos locupletibus litatos fuisse. Sciens prætermitto alia publicæ lætitiæ in Saturni festo effusioris irritamenta. Reliquum est, ut et munera januarum, quæ cæteris facile palmam præripiunt, in scenam producamus. Munera illa, quæ et nomine Strenarum a Dea STRENIA vel STRENUA deducto insigniuntur Calendis Ianuariis dilargiri consueverunt veteres Romani. Initio temporis, quum dira habendi cupido nondum animos inuaderet, *Carycas, Caryotides*, palmarum poma, et mella, ut dulcis annus a dulcibus rebus inciperetur, loco munerum habebantur. Ast ubi pestiferum istud sidus pectora mortalium adflarat, adeo inualuit *Strenarum* usus dicam? an abusus, ut munera aurea et argentea, num-

(b) PLAVT. Ep. Act. V. Scen. I. vid. TAUBMANNI Comment. in h. l. p. 528.

(i) Lib. III.

nummos scilicet, annulos, patellas aureas, vel saltim auro obductas relictis dulciariis amicis quisque suis mitteret. (l)

Multos ex hac gentilismi colluie hausisse impuros riuulos Christianismum priscum grauis ille doctor antiquus TERTULLIANVS ita asserit: (m) *no- bis, quibus sabbatha extranea sunt, et neomenia et feria aliquando a Deo dilectæ; Saturnalia et Ianuaria et Brumæ et matronales frequentantur ludi, munera commeant, Strenæ consonant, lusus conuiuia constrepunt.* Summam nostræ disquisitionis reculturi facile perspectu erit, moris istius, quo festo paschatos oua distribuuntur, primam scaturiginem esse illam, quam explicuimus, consuetudinem festis diebus offerendi munera.

Tria animaduertimus momenta, quæ ad dilucidationem oui paschalis, iusto ordine persequendam, quam maxime facere videntur. Primo ritum ipsum clare describamus: Deinde occasionem eiusdem percontemur; quo factò significationes huius consuetudinis paschalis allegoricas, quas dicunt, quoad eius fieri poterit, ex ipsis antiquitatis visceribus exsculpamus. Cui quidem cœpto, non Iupiter, non Musæ Pierides, non Phœbus, neque vniuersa Deorum factitiorum caterua, quod vetus illa poetarum atque philosophorum gens anxie precabatur, (n) sed nomen illud sanctissimum adspiret; quo propitio, ha-
B
bebi-

(l) Conf. pluribus MARTINVS LIPENIVS de strenis et CHRISTIANVS WILDVOGELIVS *vom Rechte des neuen Jahrs.*

(m) Lib. X. de idololatria edit. de la Cerda.

(n) vid. VARRO de re Rust. lib. I. cap. I. HESIODVS init. op. et dier. THEOGNIS in princip. sentent.

bebimus, quod, qui felicitatem itineris præoptant, omni anhelant voto, ventos nimirum vela secundo flamine moderantes.

Ritus istius claram descriptionem primo polliciti sumus: qui quidem nostris hisce oris tenuior esse videtur, retro licet seculis frequentiore eisdem usum obtinuisse haud difficile esset demonstratu. Vbi enim increbescens *oui paschalis* abusus graui quodam electorali edicto Saxonico eliminari cœperat; (o) Sensim paulatimque tolerabilior huiusce munusculi festo resurrectionis circumferri soliti vsus diminutus in lentam abiit defuetudinem. Dehinc hospes plane esset, qui verbosior ouuli paschalis, vti hodieque nostro terrarum tractu floreat, desposceret enarrationem. Idcirco quo magis nostris regionibus exulasse videatur, eo fixiores sedes *Moscowitica terra*, in qua reliquias veteris ecclesiæ græcæ deprehendimus, constituit munusculum *oui paschalis*. Res sane digna, propter quam quidem ne statim deseras vadimonium, attamen quæ hisce pagellis enodatius proposita legatur. Non abs re alienum erit, libellum quendam a venerando nunc in numero beatorum collocato IO. GEORGIO PRITIO primitus in Germania editum consulere. (p) Ibi enim refertur, festo resurrectionis cuiuslibet imperatoris faciem, quem *Ezarem* vocant, patere oculis, manibusque eiusdem osculo exceptis, rubicundum ouum in memoriam rei accipi, eodemque die

(o) Anno M D X I I.

(p) *Moscowitischer oder Reußischer Kirchen-Staat, zum erstenmahl mit einer Vorrede herausgegeben von M. I. G. PRITIO Sonnabends-Prediger zu S. Nicolai in Leipzig 1698.*

die festo quemlibet, siue splendidioris siue inferioris conditionis per quatuordecim ferme dierum spatium circumgestare oua colore suffusa, passimque in publicis plateis occurrere, qui talia vendunt, hos qui sibi inuicem obuiam effundantur, his verbis oscula sibi figere: *Christos Wosgresti*: Christus resurrexit; retributoque basio respondere: *Woistin Wosgresti*: reapse resurrexit, haud facile quempiam inuentum iri, siue sit sexus prioris, siue sequioris; siue lautiori, siue abiectiori vitæ genere vtatur, qui talem deosculationem *rubentis oui* oblatione coniunctam occurrenti denegaret, quin et imperatorem ipsum, si genius ita ferat, tempore antelucano hos, qui carcere detineantur adire, donumque *rubri ouuli*, vt et ouinam pellem addere, posteaquam ita ipsis animum accendere voluerit: *Gaudete*, qui enim vestrorum criminum causa oppetierat, en! tandem confractis sepulcri repagulis exiit rediuius. (q)

B 2

Tali

(q) p. 47. lib. 1. An diesem heiligen Oster-Tage kan ein iedweder des Ezaaren klare Augen zu sehen bekommen, wie sie es also heissen, d. i. Er kan an des Ezaaren Hand, selbige zu küssen, gelassen werden, und empfähet darbey, ein schönes rothes Ey, zum Gedächtniß. Von diesem heiligen Oster-Tage an trägt sich ein iedwedes, vornehm und gemeines Volck, jung und alt, mit gefärbten Eyern, wohl 14. Tage lang, und sitzen auch auf öffentlichen Gassen, hin und wieder gar sehr viel dergleichen Eyer-Verkäufer. Alle Leute, so einander zu dieser heiligen Zeit begegnen, grüssen und küssen einander mit diesen angehängten Worten: *Christos Wosgresti*, d. i. Christus ist auferstanden! worauf er oder sie mich wiederum küisset und antwortet: *Woistin wosgresti*, d. i. er ist wahrhaftig auferstanden. Es wird auch
nie-

Tali modo ritum *oui paschalis* pandit iste libellus. Talia meditati occurrebat HEINECCII opus elegantissimum, quem de adumbratione ecclesiæ græcæ inscripsit. Quem ubi flagranti studio euoluo, variatis ex parte rerum circumstantiis enarrari *ouuli paschalis* distribuendi consuetudinem animaduerto. Iste enim me edocet, festo resurrectionis in ecclesia græca quam maxime esse memoratu dignum, quod nec minus in templo, quam plateis salutationes festivæ peragantur, additis verbis: *Χριστός ανέστη*. Pergit deinde vir S. R., Russos etiam tribus vicibus se inuicem exosculari, nempe *frontem*, genas, et ora, idque salutationis in primis horis matutinæ deuotioni consecratis sacerdoti exsolui; ipsum vestitu suo amictum ad sanctam chori ianuam persistere, librum Euangelii aduersum manu tenentem: quo factò, singulos admoueri, primoque sanctas imagines postea vero effigiem in euangelio osculo excipere: tum illo rite peracto negotio ambabus palmis prorui sacerdotem, eiusque humeris osculo iniuncto dictionem istam annecti: *Χριστός ανέστη*; istaque suauius ad genas et ora retribuere antistitem sacrum ita regerentem: *ἀληθῶς ανέστη*, quæ vbi omnia facta fuerint, græcos varii generis donaria,

niemand, es sey Manns- oder Weibes-Person, hohes oder niedriges Standes, einem andern dergleichen Kuß oder Gruß nebst einem rothen oder anders gefärbten Eye versagen oder verweigern. Es pfeget auch der Ezaar dann und wann selbst den des Morgens vor der Sonnen Ausgang die Gefangenen zu besuchen, und ihnen ein rothes Ey auch ein rauhes Schaaf-Fell zu verehren, auch also zuzuruffen: Freuet euch und seyd frölich, denn Christus, der vor eure Sünde gestorben, ist nunmehr wieder auferstanden.

naria, præsertim placentulas quasdam, *κολίκια* ipsi vocent, pariter et *oua* variis imprimis aureo delibata colore sibi inuicem erogare. (r)

Quos si inter se conferre liceat scriptores, potioribus huius rei momentis facile illos conspirare offeruamus. Lancem meam saturam video, ast haud plane a scopi mei tramite abhorrentem, si adhuc aliam elegantissimam, eamque carmine heroico conscriptam addidero enarrationem. RACHLIZIVS est, qui olim Grypswaldiæ degens Ritus Ruthenorum carmine depingere non infelici instituto ausus est. Ille igitur de ritu oui paschalis ita inquit:

B 3

Mul.

(r) HEINECCIUS in der Abbildung der Griechischen Kirche im III. Theil cap. 3. p. 233. Am Ostern, da jedermann communiciret, ist das merckwürdigste, dass man sowohl in der Kirche, als auf der Strasse und in den Häusern, einander also zu grüssen pfleget: *Χριστός ἀνέστη*, worauf der andere antwortet: *ἀληθῶς ἀνέστη*. Dabey sie einander dreymahl küssen, nehmlich auf beyde Wangen und auf den Mund, welches auch die Freunde zu thun gewohnt sind. Diesen Gruss legen sie sonderlich in der Früh-Metten gegen den Priester ab. Denn dieser stellet sich nach geendetem Gottes-Dienst in seinem priesterlichen Habit vor die heilige Thüre des Chors, und hält das Evangelien-Buch auf die Brust, darnach tritt einer nach dem andern hinzu, küsset erstlich die heiligen Bilder, darnach das Bild im Evangelio, und umfasst darauf den Priester mit beyden Händen, und küsset ihn auf die beyden Schultern mit den Worten: *Χριστός ἀνέστη*, der Priester aber küsset ihn wieder auf die Wangen und den Mund und spricht: *ἀληθῶς ἀνέστη*. An diesem Tage schicken auch die Griechen einander allerhand Geschencke zu, sonderlich eine gewisse Art Kuchen, die sie *κολίκια* nennen, wie auch bund gemahlte und vergüldete Eyer.

Multum ouant ouis, donatur ouantibus ouum,
 Quisque gerit vario secum picta oua colore
 Dum media tenet vrbs iter dat se obuus ipsi,
 Vir notus, matrona grauis, seu virgo venusta,
 (Quæ clausæ latitant alias sub limine tecti
 Annum per totum ferit ostia si aduena quidam;
 Virgo obdit cæco sese defensa cubili.
 Nunc ex via licet faciem velamine tectis,
 Oblatis cum aliis ouis paulisper ouare.
 Obuius ergo aliis variatum porrigit ouum.
 Magnates fuluo gestant obducta metallo.
 Talia succurrunt linguæ socialia amice,
 Christus surrexit mortis rediuius ab umbris,
 Accipiens addit certe surrexit iisdem.
 Basia deinde sibi sinceri vinculum amoris.
 Mutua dant, sit vir, mulier, seu innupta virago;
 Seu Caesar Corydon, quando datur obuus illi.
 Istis si renuens aliquis contrarius iret,
 Russum erga Russus committeret ille nefandum
 Crimen Russorum nulli laudabile sano.
 Carnibus impune niueis et vescimur ouis.
 Tristia desierunt nobis ieiunia, io! io!

Vti ex ritibus alii prioribus cognatiores conflare pos-
 sent, ita et ouum paschale spuriam quondam pe-
 perisse videtur consuetudinem, ludum videlicet *Oui-*
legii, (s) hac quidem regione infrequentem, aliis tamen
 terrarum tractibus notiozem. Hic pro me dicat qui-
 dam societatis Iesu, quam iactat, consors PAPERRO-
 CHIVS:

(s) *Eyerlesen*, quod etiam terris orientalibus viget; conf. HYDE
 de ludis orientalium populorum,

CHIVS: (t) Ouilegii ludus notior est Teutonibus, quam vt explicari hic debeat, pro exteris satis sit dicere, certamen currentium esse, vter prius vel ingens loci spatium vno tractu via emetiatur: vel breui in spatio disposita certis interual-
lis, certo numero, oua sic legat, vt quoties vnum sustulit, rursus ad metum redeat, totiesque recurrat, donec et meta remotissimum legerit. Istius quidem ludi genus licet non plane abhorreat a ludis Romanorum Circensibus, quippe in quibus et curricula et oua lignea, quæ Dio Cassius *ωειδὴν ἀνημισθημένα* vocat, inuenta fuisse narrantur, nollem tamen eundem ex istis Ethnicismi riuulis promanasse cum B. DANHAVERO asserere. (u)

De

(t) Qui explicat verba eines alten Baderbornischen Præsentien-Buchs: *Memoriae venerabilis D. Walburgis abbatissæ et fundatricis Ecclesiæ Herisfensis; et ministratur solemne ouilegium, de Abbatia et Præpositura ita obseruatum est. Anno MDXXXV. Tom. V. Sanct. d. 20. Maii. exinde colligi potest, ludum ouilegii non minus, quam torneamenta, fuisse solemnem. ex nostratibus vid. TENZELIVS Tom. I. Colloqu. Menstr. p. 962. vt et in der abgefonderten Bibliothec Repof. I. p. 817.*

(u) Ita enim loquitur im Evangelischen Denckmahl p. 352. *Es haben vor Zeiten die blinden Heyden um diese Jahrs-Zeit (paschalis) ihre Ludos Circenses, Eyer-Fest und Eyer-Spiel gehalten, da sie den beyden Eyer-Götzen (Castori et Polluci ouo prognatis ab vno a Ioue Cygno in nido Ledæo) zu Ehren in Circo ouali in einem Eyer-runden Platz um die Eyer in die Wette gelauffen, (von welcher Oster-Fastnacht auch unter uns Christen, deren Ruhm nicht sein ist, ein Sauerteig überblieben, dass man auf den Oster-Montag um die Eyer läufft.) Etenim ita sese habebat res Circensis. In circo medio murus lateriti-
us, qui et Spina vocabatur, constructus erat: in ista Spina collo-*

De strenarum vsu sic percepimus, quod in dies magis magisque in religiosam mendicitatem fuerit transfusus; cui quidem abusui latius effuso graue opposuit edictum Imperator Tiberius. (x) Vbi vero Caligula rerum potitus erat laxati effrenioris strenarum commercii freni videntur. (y)

Etenim ipse eo auaritiæ processit, vt strenas acciperet non solum, sed et emendicaret. Idem ferme euenisse videmus oui paschalis ritui, quod sub nomine sanctissimæ religionis obstetrices (sit venia dicto) a fœmellis suis fœtum enixis, pueria sanctioris lauacri sui testibus, ianitores, horarum nocturnarum proclamatores, ludi magistri et æditui ab incolis, et quoscunque tandem inueneris infimi subsellii homines, suo quodam iure poscunt. (z) Quod ad ædituos attinet, qui etiam hierophylaces appellantur, exinde illi sibi vindicare poterunt munus oui paschalis, quoniam elapsis seculis, cum adhuc errorum papalium alta vigeret existimatio, vas illud Pontificiorum adspersioni attemperatum, et aquam lustralem circumgestauerint id quod eisdem dari decreuit Serenissimus olim Saxoniæ

collocatæ erant columnæ, quarum apex ouo ligneo præfulgebatur. Iam vero septem curricula erant consummanda, quæ *Missus* dicebantur: igitur ne in numero curriculum erraretur existis ouis ligneis finito quolibet curriculo vnum tollebat. vid. G. H. NIEVPOORT Comp. ant. Rom. Sect. IV. c. V. p. 222. et Tom. III. Antiq. Græuio collectore editorum edit. Splendid. Venet. vbi tabulæ aneæ visuntur.

(x) Vid. SVETONIVS in V. eius c. 34.

(y) Idem c. 47. Vitæ dicti imperatoris.

(z) *Das so genannte schöne Ey.*

niæ Elector AVGVSTVS, cuius beatissima memoria, dum sol iste lucebit, stabit inconcussa. (aa)

Primam tractationis nostræ partem ad vmbilicum perduximus: itaque inoffenso pede ad alteram procedimus, qua *occafio munusculi paschalis oui* explicanda erit. Vti rem arctiore pomœrio concludamus, vitatis verborum ambagibus, primo aliorum sententias, deinde et nostram, quæcunque tandem erit, in scenam adducamus. Dantur, qui diribitionem *oui paschalis* ex latissimo illo more festis diebus munera dandi et accipiendi, quem supra persecuti sumus, optime deriuari autumant. Quodsi velis istam consuetudinem pro origine remotissima profiteri, facile me tibi habebis subscribentem: meum est, in causa proxi-

C

ma

(aa) Ita enim Pius Princeps in ordinatione Ecclesiastica loquitur:

Und wie es verschiedener Zeit Gewohnheit gewesen, daß man den Kirchnern auf den Dörffern den grünen Donnerstag oder Oster-Ey, so sie den Sprenge-Kessel oder geweyhet Wasser umgetragen, nun aber, weil solches gefallen, nicht mehr geben wolten, so erachten wir für gut und billig, daß ihnen solches gegeben werde. Idem fanciuit serenissimus rerum Magdeburgicarum Præsul, qui in nouissima Ecclesiarum dicti loci ordinatione ita inquit: *Was sonst dem Küster über das wöchentliche Schul-Geld an Brod und Oster-Eyern, oder dergleichen gegeben wird &c.* Conf. CHRISTIANVS WILDVOGELIVS *vom Recht des Oster-Fests.* Isti mendicandi infucato ritui merito accensentur oua ita dicta DE CRVCIBVS, quorum occurrit mentio in tabulario Fossatensi, quod produxit CAROLVS du FRESNE in gloss. med. et infim. lat. *Habet et percipit dicta abbatia ibidem a quolibet foco dicta illa tria oua, quæ vocantur oua de crucibus, vel obliam quolibet anno &c.*

ma eruenda, vti loquuntur Philosophi, operam gnauiter collocare. Sunt, qui eiusdem *oui paschalis* ritus prima stamina in *ludis Circensibus* iam esse pertexta haud vano conatu asserunt, quippe in quibus, vt iam supra dictum a nobis, corpuscula oualis formæ inuenta fuerint, qui mihi exinde non probantur, quoniam oua lignea ludorum Circensium, non porrigebantur, sed sumebantur.

Restat vt et nostram adiungamus sententiam, quam rotundo ore ita enunciamus, *occasionem munusculi ouorum paschalium fuisse illa varii generis ieiunia antepaschalia, quæ a veteribus vno nomine Quadragesima designantur.* Quam quidem denominationem doctissimus HENRICVS VALESIVS (bb) ex isto deducit principio, quod cum plerumque spatium ieiunii per quadraginta horas fuerit extractum, memoria vel interualli mortis CHRISTI, vel ieiunii eiusdem Seruatoris per XL. noctes totidemque dies obseruati redintegrata fuerit. De ieiuniorum istorum obseruatione accuratiori trutina cogitaturis, ex scriptoribus Christianis in promptu erit, eorundem determinationem primo fuisse liberiores, multo minus ad genium quadragesimalis pontificiorum ieiunii, quod hodierno die obseruatur, attemperatam, sed successu temporis paulo arctiorem fuisse, posteaquam quorundam præfulum inconsulta et inofficiosa pietas, atque Pontificis Romani nimia arrogantia vndique diffusa

(bb) In notis ad H. E. Eusebii lib. V. c. 24.

diffusa atque adeo quadragesima papalis exsculpta fuerit. (cc)

Nunc ut occasionem oui paschalis penitius perspiciamus, probandum nobis erit, in istis ieiuniorum variis generibus inprimis oppido coarctatis; (dd) etiam esum ouorum exulasse; id quod ex variis, quas referunt scriptores, circumstantiis colligi poterit. Agedum! exordiamur telam. Constat inter fercula antiquorum epulorum, ab ouorum comestione prandium vel cœnam semper cœptam fuisse, itaque oua non minimam conuiuiorum partem absoluebant, (ee) quod si ergo veteres ieiunaturi solita prandia neglexerint; veritas erit exploratissima, ipsos etiam nec ouis vesci potuisse. Sed et aliud ingenii tentamen instituamus. Scrupulosa ista a certo genere ciborum abstinentia tametsi ex Ascetica et Montanistica priorum seculorum disciplina maxima ex parte profluxerit, inficiandum ta-

C 2

men

(cc) Quod clarissime elucescit ex fragmento quodam Irenæi apud EVSEB. H. E. lib. 5. c. 24. *οἱ μὲν γρῶιονται μίαν ἡμέραν δὴν αὐτὰς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο. οἱ δὲ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας τε ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετεῖσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν* quod Rufinus ita vertit: quidam enim putant vno tantum die obseruari debere ieiunium: alii duobus, alii vero pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita ut horas diurnas nocturnasque computantes, diem statuunt. vid. TERTULLIANVS de ieiun. Concil. Laodic. c. 5. de ieiun. SOCRATES lib. 5. H. E. c. 22. p. 286.

(dd) Quo spectat Canon IX. Concilii, quod an. 653 habitum perhibetur, Trullanæ etiam, quæ anno 692. habita fuit, Synodi Canon 56.

(ee) Hinc CICERO ad fam. IX. 20. integram famem ad ouum affero. conf. P. CIACCON. de Triclin. p. 54.

men non est, si vltimam eiusdem originem spectaueris, ex Aegyptiorum Sacerdotum institutis, vtpote qui, nec carnibus, nec lacte, nec ouis, quæ pro carne liquida habebant, esse repetendam. Igitur quid obstat, quominus asseramus, veteres Christianos ieiuniorum suorum rationem ieiuniis Aegyptiorum accommodantes, ouorum fruitionem posthabuisse. (ff) Suppetit adhuc aliud argumentum, cur Christiani antiquiores tempore ieiuniorum oua haud potuerint comedere. Scilicet victus ouorum grauat stomachum: Stomachus infartus neque studet, neque preces fundit libenter, si trito adagio vti liceat. Ergo in aprico est, ouorum vsum ex ieiuniis antepaschalibus omnem fuisse sublatum, quandoquidem eum præfixum obtinuerint finem veterum ieiunia, vt animi eo alacriores ad cultum sanctiorem redderentur. (gg) Ergo priores Christi confessores tempore antepaschali ouis comedendis plane abstinuissent, quis est, qui dubitet? Festo resurrectionis die frenum seuerioris, atque adeo libertas ouis vescendi laxatum est: hinc Christianis ritum istum diebus solemnioribus munera sibi inuicem offerendi, quem supra fusius significauimus, procul dubio obseruaturis haud sane comodior muneris occasio enasci

(ff) vid. FRID. SPANHEMII Hist. Eccl. Sec. IV. Sect. VIII. p. 804. Huc pertinet, quod refert IO. PIERIVS in hierylyph. lib. VIII. c. II. p. 705. Aegyptiorum sacerdotes ouum pro carnibus vitasse, neque etiam lac, quorum alterum carnes, alterum sanguinem dicebant colore mutato.

(gg) Ideo canon LII. concilii in Trullo cusus est. *αἱ τῶν νηστειῶν ἡμέραι, πένθους ἦναι ἐτάχθησαν καὶ κατανύξεως.*

enasci potuit, quam quæ ab ouorum largitione desumpta fuit. (bb)

Tandem ut significationes huius ritus allegoricas pandamus et ordo rerum iubet, et alia non minus graui momenta. Etenim veteri ecclesiæ solemne fuit per externi cuiusdam ritus obseruationem, hieroglyphicam, quam dicunt, indicare explicationem: id quod vel sola thuris suffumigatione secul. IV. obtinenti, qua ardentium precum sacrificium Deo pergratum denotabatur, haud sane obscure patescit. Afferitur a nonnullis, veteres per ouorum oblationem istud inuenire voluisse, ac si mundi istius machina tempore paschali condita fuerit. Deinde et illud adfirmatur, istum *oui paschalis* ritum vires et incrementum ex sententia quorundam philosophorum ex ovo orbem vniuersum exclusum fuisse nugantium, idemque veteres

C 3

signi-

(bb) Possset mihi hic quispiam illud obuertere, vanum me agere laborem, cum conceptus ieiuniorum abstinentiam ab omni ciborum genere adeoque et ouis complectatur, sed iste sciat, me duplicem ob causam illud fecisse. primo nominatim demonstrare volui, veteres in ieiuniis antepaschalibus oua prorsus non comedisse, deinde, quoniam in ista ieiuniorum ratione, quæ obtinet apud Papiculas, vbi certa quædam ciborum genera palato permessa sunt, v. g. pisces, placentulæ, etiam oua prohibita sint, vnde liquet ouum paschale iam labentis ecclesiæ seculis ortum acquisiuisse. Hinc et B. DANHAVERVS l. c. *Das Pabstthum bat auch seinen Chrysam daran geschmieret, und geordnet, daß nachdem man bissher 40. Tage sich des Fleisches und Eyer enthalten müssen, und nunmehr auf den Oster-Tag der Paß Fleisch und Eyer zu essen geöffnet, daß man die Eyer in die Kirche tragen, und mit abergläubischen Ceremonien weyhen soll.*

significatum voluisse. (ii) At enim vero leuiusculæ istæ videntur coniecturæ, enarrandas potiore iure existimo illas, quæ solidioris sint argumenti meditationes, quibus et facile album meum addo lapillum. Primo res in propatulo est, oua cum epulis hilarioribus, tum etiam fenalibus adposita fuisse. (ll) hinc duplicis argumenti, lætabilioris et tristioris, facta, passionem et resurrectionem seruatoris recolere recordationemque eorundem refricare facile ipsis esse poterat procliue. Illud etiam commemoratione haud indignum videtur, oua antiquæ puritatis et puræ antiquitatis symbolum fuisse: vnde et prouerbum ἐξ ὠσ ἐξ ἡλθευ de illis, qui supra modum puri essent ac nitidi, enatum est: hinc in eam adducor sententiam, veteres Christi asseclas per ouum paschale et pulchritudinem Christi, ex fœdissima sepulchri spelunca rediui et corporis humani, tandem aliquando ex puluere et cinere multo formosius prodituri testatiorem voluisse. (mm)

Superiori loco obseruatum fuit, in circo olim illud obtinuisse mōris, vt quolibet cursu absoluto corpusculum oualis formæ in culmine columnæ suspensum

(ii) Idcirco etiam Bacho in orgiis fuit ouum dicatum fuit tanquam exemplum omnia gignentis et in se continentis. vid. PLUTARCHVS in sympof. lib. II. c. 3. quæst.

(ll) IUVVENALIS Sat. V. 84.

*Sed tibi dimidio constrictus lammarus ouo
Ponitur exigua seralis cena patello.*

(mm) Cæterum Seruatorem præstantissima corporis forma præditum fuisse demonstrarunt FRANCISCVS VAVASSOR de forma Christi, et IO. REISKIVS de imaginibus Christi.

sum desumptum fuisset: hinc non obscure colligitur, veteres oblato ovo sese ad sequentis vitæ cursam instigasse. Tandem cum et sæpissime inter exquisitissima cruciatuum primis Christicolis intentatorum genera haud raro adhiberentur ova ignita, (nn) credendum sane erit, oblationem *oui paschalis* ad constantiam imminentibus persecutionibus exhibendam non minimam addidisse animis exstimulationem, cum priusquam turbulenta calamitatum procella aboriat, animus ad eam patienter excipiendam obfirmandus sit, atque communiendus.

Hoc fere in mei, quod sentio quam sit exiguum, ingenii penu inueniebantur, quæ de *ovo paschali* essent dicenda. Nunc isti opusculo coronidem impono hisce B. DANHAVERI verbis additis, quæ latine veteri religioni mihi duco: (oo) *Keinen bessern und angenehmern Oster-Danck können wir unsern erstandenem Sieges-Fürsten bringen, als uns selbst, als die mit dem Blute Christi gefärbte Oster-Eyer, zu seinem Opfer und Dienst gänzlich zu übergeben. Gleichwie eine natürliche Henne ihr Ey legt, aber todt und leblos: setzt sich bald darauf, brütelt dasselbe durch ihre beywohnende Wärme mit viel Guxen und Kaxen, auch bis die Schaal erbrochen, das Küchlein heraus geschlossen, doch noch rob und fluglos, darum die Henne noch ferner an ihm arbeiten muß, dasselbe unter die Flügel nehmen, erwärmen, locken, ruffen, schützen wider den Raub-Vogel, bis es endlich flüg wird, und selbst davon fliegen kan. Also die geistliche Henne Matth. 23. Christus legt die*

(nn) SOCRATES lib. II. c. 38. vocat $\omega\acute{\alpha}\ \eta\varsigma\ \alpha\chi\rho\delta\acute{\omega}\nu\ \theta\epsilon\rho\mu\alpha\theta\epsilon\iota\sigma\alpha$.

(oo) Loco et libro citato.

die Eyer in der ersten Geburt, aber leblose Eyer, die das rechte Leben, daraus GOTT ist, noch nicht empfangen haben: brütelt darnach dasselbe aus, durch die überkommene Kraft, und übernatürliche Wärme des heiligen Geistes in der geistlichen Wiedergeburt, bricht die Schaal des alten Menschen mit dem lieben Creutz, färbet das Ey roth mit seinem Blute, arbeitet ferner an dem neugebohrnen Küchlein, locket, sammlet, schützt und erbält dasselbe, biß es durch einen seeligen Flug sich empor schwinget in das himmlische Leben. Uns als Christi Oster-Eyern und Oster-Küchlein gebührt Christo unserm Herrn uns zu lassen gantz und gar, und ihm zum Dienst zu ergeben, und also würcklichen Danck für so theure Wohlthaten zu erweisen. Dabey stebet nun wohl das Grosse Alleluja, und endlich das gantze Alleluja. Faxit ter sanctum numen, vt omnia illa rite experiantur omnium, quicumque Christi nomen profitentur, pectora!

F I N I S.

